



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta F. Martini || Luther August.|| apud. D. Legatu[m]
Apo-||stolicu[m] Augustae**

Luther, Martin

[Leipzig], [1518]

VD16 L 3640

Postilla .F. Martini Lvther Svper Breue praecedens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-32384

POSTILLA .F. MARTINI LVTHER SVPER

Breue precedens.


¶ Deinde, quis dixit Pontifici me ab usum benignitate sua, quae me per. d. Hieronymum citari fecit et cum tempore huius dati breuis aut certe huius benignitatis abusus, ego nondum quicquam de citatione audiverim, ut infra scies, sed insulsus aliquis Leucocorax in Germania mea uides fiduciam, ista cocitauit.

¶ Item, quod in haeresi pertinaciter post Hieronymianam citationem & monitionem perstiterim, & alios libellos adiderim, est apertum mendacium, non solum enim ante datum huius breuis, sed etiam ante datum monitorii, cessatum erat a libellis adendis meis, exceptis resolutionibus, quos necdum citatus plene absolueram, seu satis indicat nasus, displicuisse defensionem meam uulgari, quibusdam cucullis. Quibus cum non cederem, fingunt mihi, pontifice quendam de permaneria facti, de fama notoria & inexcusabili, diuinant. Iste enim Leo decimus, quem illi fingunt, forte est inter rationem rei rationabilis, & rei ratiocinantis natus.

¶ Ultimo & omnium suauissimum. Breue hoc datum est. xxiii. Augusti. Ego autem citatus & monitus fui septima Augusti, & sic intra datum breuis & citationem cucurrerunt xvi. dies. Calculum pone lector, & inuenies dum Hieronymum Episcopum Asculensem, uel ante mihi insinuatam citationem, aut intra decimum sextum diem, post insinuatam, processisse contra me, iudicasse, damnasse, declarasse. Si nunc queram, ubi tunc sexaginta illi dies mihi dati in citatione mea, quae inceperunt a septima Augusti finiebant autem circiter septimam octobris. Est iste mos & stilus Romanae Curiae, ut eadem die, citent, moneant, accusent, iudicent, damnent, declarent et praesertim tanto spacio absentem & ignorantem. Quid respondebunt, nisi sese oblitos fuisse ellebori, quando hoc mendacium adornare parabant.

¶ In fine, mi lector, accipe fidele meum monitorium, utcumque cesserit meis propositionibus, & quatenuscunque indulgentias eleauerint, ne in meam stultitiam aliquam cadas, moneo. Ego enim uere mihi donari merita Christi per indulgentias aliquam credebam. Atque hac stulta opinione procedens, docui, & iactaui in populum, quoniam quidem tantae res essent indulgentiae, non licere eas relinquere, uales, & contemptas habere, non aduertens omnium Bardorum bardissimus, quod eo sermone, pene preceptum salubre, aut certe consilium necessarium faceret, ex permissionibus, licentiis, relaxati-

onibus. Huc enim me perpulit sensus meus, opinionum & extrauaganti-
um male lucidis uerbis deceptus. Erraui, testis lector. Reuoco, testis
lector. postquam autem receptis oculis uiderem, ab omnibus doctoribus, una
sententia tradi, indulgentias melius omitti quam redimi, & foeliciores
esse eos, qui per se fati faciunt, quam qui indulgentias redimunt. Essequi
indulgentias aliud nihil, quam relaxatioes bonorum operum, quibus sati-
factio impletur; mox uidi, pleui sequela, eas posse pretemni, immo
saluberrimum esse consilium, ut relinquuntur, & uiles habeantur. porro
contemnere, relinquere, uilia ducere, sacrosancta, preciosissima, in-
estimabiliaque merita Christi (.i. indulgentias) horrendum sonabat, ac
non tam consilii, quam furentis impietatis uerba iudicabantur. Ad haec
perurgebat, quod indulgentia sine nomine meritorum Christi, uilissi-
ma essent, soloque titulo meritorum Christi, reque omnium preciosissima fieret,
ac sic sacrosancta (heu) incomparabilia merita Christi, ad turpissimam
foedissimamque seruitutem quaestus pretererentur. Quis enim Christianorum, si
audiat, uel nominari, nedum exhiberi, uulnera, sanguinem, labores dul-
cissimi Saluatoris sui, non uitam quoque, nedum pecunias prodigeret, idque
cum gaudio? At quo rursus dolore cruciaberis, si haec omnia, non
nisi in teterrimum quaestum seruire uideris, ac non uno Iuda, nec se-
mel, sed innumeris Iudis, singulisque momentis uendi, reuendique
Christum. Igitur non te fallat nomen Christi, recordare praedictum esse,
multos uenturos pseudochristos in nomine Christi, tantaque pro-
digia & signa duros, ut in errorem ducant (si fieri poterit) electos.
Sit mea propositio falsa, sint merita Christi thesaurus indulgentiarum,
sed cogita, quod hinc sequi necessarium est, & dicere te oportet. Merita
Christi relinquenda, & uilia ducenda esse, foeliciores esse eos, qui me-
rita Christi non redimunt, quam eos, qui deuotissime eadem quarunt. Et
cum merita Christi, quam maxime (natura sua) ad bona opera impel-
lant, in indulgentiis tamen sibiipsis pugnantia, bona opera relax-
ant, & quod natura sua, uoluntateque dei faciunt, id uoluntate Pa-
pae soluunt. Feci, quod debui, lector, si deinceps erras, sine mea cul-
pa erras. Vale.



Faint, illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side of the page.